

cavē nunciam oculos a meīs oculis quoquam demoveas 170
tuos

ne mora sit, si innuerim, quin pugnu' continuo in mala
haereat.

SA. istuc volo ergo ipsum experiri. *AE.* em serva. *PA.*
omite mulierem.

SA. o facinus indignum! *AE.* geminabit nisi caves. *SA.*
ei, miseriam!

20 *AE.* non innueram; verum in istam partem potiu' peccato
tamen.

i nunciam.—*SA.* quid hōc reist? regnumne, Aeschine, hic 175
tu possides?

AE. si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

SA. quid tibi rēi mecumst? *AE.* nil. *SA.* quid? nostin
qui sim? *AE.* non desidero.

SA. tetigin tuī quicquam? *AE.* si attigisses, ferres infor-
tunium.

25 *SA.* qui tibi magis licet mēam habere pro qua ego argentum
dedi?

responde. *AE.* ante aedis non fecisse erit melius hic con- 180
viciū;

nam si molestū' pergis esse, iam intro abripiere atque ibi
usque ad necem operiere loris. *SA.* loris liber? *AE.* sic
erit.

SA. ō hominem impurum! hicin libertatem aiunt esse
aequam omnibus?

30 *AE.* si sati' iam debacchatus es, leno, audi si vis nunciam.

SA. egōn debacchatu' sum autem an tū in me? *AE.* mitte 185
ista atque ad rem redi.